



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TUNDURUENSIS-
MASASIENSIS*** QUIBUSDAM LOCIS A DIOECESI NACHINGVEAËNSI
DISTRACTIS NOVA ECCLESIA TUNDURUENSIS-MASASIENSIS

Cogitantes de Ecclesia Nachingveaënsi deque haud facili actione pastoralis pro omnibus fidelibus intra eiusmodi dioecesanos fines degentibus, non dubitamus quin preces sint audiendae quae Sanctae huic Sedi ad hoc adhibitae sunt, ut, salvis paroeciis « Ndanda » et « Chigugu » in civili regione « Masasi » quidem sitis, ex reliquis locis regionis nunc nominatae omnibusque illis alterius regionis « Tunduru » propriis, quae omnia hucusque ad memoratam dioecesim pertinuerunt, nova illic dioecesis instituat. Ipsi igitur, qui ubique pro munere Nostro maxime evangelizationis opus adiuvere cupimus, ex sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide negotiis praepositorum hodie ad Nos relata, quam de opportunitate rei perpensam ratam habemus, cumque autem in votis etiam res sit quorum interest, vi et potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute haec decernimus, quae sequuntur, atque iubemus. A dioecesi Nachingveaënsi nunc loca, quae civili regione « Tunduru » continentur, separamus, pariterque, exceptis paroeciis « Ndanda » et « Chigugu », reliqua civilis regionis « Masasi » loca ; iisque simul sumptis novam dioecesim condimus nomine *Tunduruensem-Masasiensem* eamque tum Ecclesiae Dar-es-Salaamensi suffraganeam constituimus tum eidem quam diximus Congregationi de Propaganda Fide iure subicimus, simul atque statuimus ut novae dioecesis sedes episcopalis in urbe collocetur vulgo Tunduru ; ipsi autem templo ibidem aedificando Cathedralis templi gradus sane ac dignitas erit. Concedimus unoque tempore hortamur ut, ob loci temporisque adiuncta, pro Canonicorum capitulo ibi ad statutum ius consultores dioecesani electi adhibeantur. Has Litteras Apostolicas nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo decimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri nono.

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*
Hyginus Quadraroli, *Protonot. Apost. s.n.*

*A.A.S., vol. LXXIX (1987), n. 2, pp. 171-172

© Copyright 1986- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana